

Prīmus Labor: Leō Nemaesus

Prope Mycēnās in silvā vīxit leō quī vallem Nemaeam
īnfestam faciēbat et periculōsam. In silvam quam leō incolēbat
Herculēs statim iter fēcit. Mox leōnem invēnit et arcum
intendit; ejus pellem quae maximē dēnsa erat sagittae nōn
trājēcērunt. Tum clāvam magnam Herculēs rapuit et leōnem
percussit. Sed frūstrā. Dēnique suīs manibus collum cēpit et
magnā vī pressit. Post breve tempus bēstia exanimāta est.
Pellem leōnis Herculēs dētrāxit quam postea prō veste gerēbat.
Corpus mortuum ad Eurystheum, quī tantā fortitudīne territus
est, portāvit. Sed cēteri, ubi dē morte leōnis audīvērunt, laetī
fuērunt.